



78  
nobilibus ortus parentibus admodum adolescens. Iohannem Francisci Sfortie fratrem magno animo iuuenem. et qui eam urbem per omne belli tempus egregie defendisset conspiratione cum paucis inita incautum obruncavit. Sed cum et ipse tyrannum in patria gereret in exilium actus est: Civitas deinde sub ecclesia quieuit. quamvis anno abhinc superiore idem Iosias arcem quondam naturali situ munitam et urbi propinquam cum plerisque latronibus occupans non parvas curas illi populo ingesserat: que res ei parum prospere cessit: Nam Rhodericus Sancti Nicolai Cardinalis eius provincie legatus/ obsidionem loco admoventis. postquam arce potitus est: captum ipsum vincitumque Romam misit. ¶ In Urbino dux gentis Oddo matre Columnensi nobilissima natus. cum per libidinem in matronas nobiles de baccharetur: nec modum licentie faceret: populari tumultu interfectus est. Incentor nequicie et adolescentie sue corruptor: Prothonotarius carpensis nobili genere ortus. sed ingenio pessimo. qui nuptis ac virginibus quam plurimis vim intulerat: qui per omnia scelera ad summum viciorum pervenerat. Eadem nocte cum discipulo suo necatus inexhauste libidinis penas dedit. Cadaver eius in forum delatum defecta virilia in ore mordicus tenuit. Guido pater Oddonis priusquam conjugem ex Columnensi familia duceret: cum proles ei nulla virilis esset. aurius quo nam pacto ingente sua imperium propagaret concubinam ex se pregnantem assumulavit. Exin Bernardini Cardensis agnati sui preclari copiarum ducis filium cum forte natum supponi pro suo nutritumque iussit Friderici nomine indito. Sed coniugio deinde contracto cum filium legitimum sustulisset: conversa in eum cura Fridericum adhuc puerum milicice tradidit: in qua ille ad etatem usque virilem perseveravit. Deinde Oddone mortuo